

num. 4 „*idem nominabantur sancti, ut a Paulo saepe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertuliano et aliis*“. Hinc, ut in lib. 4 „de canonisatione sanctorum“ par. 2, cap. 27. num. 14 satis probavimus, unus „*sancti*“ titulus par non est, ut corpora, quae ex catacumbis efferuntur, sacro cultu donentur; sicut enim praenotavimus, in primaeva ecclesia „*sancti*“ vocabulum nec vitae sanctitatem nec martyrium pro Christi nomine toleratum, sed christianae religionis, quae cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat, successu temporis, ut Spondanus animadvertit, „*sancti*“ titulus ad peculiarem vitae sanctimoniam significandam translatus est: „*Demum*“ sic ille prosequitur, „*obtinuit usus, ut illi tantummodo sancti in ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatio-rique fulgerent morum sanctitudine*“. In hac posteriori acceptione haud facile prudens scriptor „*sancti*“ nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret; aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combesius. „*De sancti titulo, quo eum aliquando ornavit Combesius, veniam petiit*“; Bibliothecae concionariae tomo. I, pag. 9; verba sunt eruditi Dominici Georgii in suis notis, quas martyrologio Adonis ad diem 19. Decembris subiecit. Eodem pertinent, quae diligens scriptor pater Michael a sancto Joseph tomo II. pag. 39 suae bibliographiae criticae Verb. „*Clemens*“ de „*sancti*“ nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In expurgatorio Hispano tom. I. pag. 134, ubi praescribitur correctio bibliothecae veterum patrum, ad tom. VI. col. 235 deleri praecipitur titulus „Divi“ appositus Clementi.*

Die 7. Julii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. pag. 431.)

SANDALIA.

1) Abbatis.

(A quo tempore concessa?)

Silvester II. PP. Ercanbaldo Abbati Fuldensi Monasterii SS. Salvatoris.

Usus sandaliorum ac dalmaticarum secundum quod ab antecessoribus nostris vobis concessum est, concedimus et confirmamus.

Die 31. Dec. 999.

(Bull. r. t. I. p. 477. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo IX. PP. Fulconi abbati Corbeiensi.

Quia ad apostolicam sedem tam devotus, fili carissime, venisti, placuit munificentiae nostrae usum tibi dalmaticae et sandaliorum concedere.

Die 18. Apr. 1051.

(Ibid. p. 607.)

2) Canonicorum et Dignitarum.

(Jus deferendi.)

Canonicus celebrans mitratus Cathedralis Panormitanae non potest uti sandaliis. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Vd.: *Annulus Canon.* (decr. n. 4224.)

Usus Pontif. (decr. 4585 nota; 4593 ad 8; 4863.)

3) Episcopi.

a) *In Missa de Req. et Parasceve.*

Episcopus in missa def. non utitur Sandaliis. *Caer. Ep.* I. II. c. XI. n. 2.

In Parasceve Episcopus non utitur Sandaliis.

Ibid. c. XXV. n. 6, vd. p. 632.

b) *Subdiaconus defert et induit.*

Vd.: *Tertia* (cantatio Papa celebrante).

Subdiaconus paratus, etiamsi sit Canonicus, caligas et Sandalia velo

tecta portare debet ad Episcopum celebraturum ambabus manibus usque ad faciem elevatis. n. 15 ad 14 die 16. Mart. 1591.

Ad dub.: An post sol. missam pontif. teneatur Canonicus Subdiaconus Episcopo detrahere Sandalia vel potius ad Scutiferos haec actio pertineat?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4606 die 27. Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quamvis Caer. Ep. adamussim praescribit, quae in Pontificalibus vetanda agendaque sunt tam a celebrante quam a s. ministris aliisque inservientibus, et officia, quae singulis conveniunt, pro munerum diversitati ordinatim enumeret, sunt tamen aliqua, quae non erant necessario exprimenda, prout non exprimuntur, quia perquam facile deduci possunt et deducuntur ex clare expressis, cum quibus habent connexionem. Tale illud est, de quo rogata fuit s. Congregatio in proposito dubio de detrahendis Episcopo, peracta Missa pontificali, sandaliis. Equidem si dubitari potest, num Subdiaconus teneatur Episcopo pontificaliter celebranti detrahere sandalia, quia idem Caeremoniale omnino silet neque expresse jubet, ut id ab eo fiat, cessat tamen omnis dubitandi ratio, nam quod hac in parte obscurum est, facile declaratur ex alia ejusdem Caeremonialis rubrica, de ritu servando, dum Episcopus Sacrum solemne peracturus, incipit legere Psalmos, qui ponuntur pro praeparatione ad s. Missam. Praeterea quod expressis non declaratur verbis, ubi opportunus occurrebat locus, volitum tamen intelligendum est sub generali expressione, quae includit, quod non erat necessario specialiter exprimentum. Quoniam vero sandalia sacris

adnumerantur indumentis, plane consequitur, eadem non a laicis sed ab altaris ministro detrahenda esse, dum Episcopus post Missam, sacris aliis paramentis depositis, sandaliis postremo exiit.

Juxta praefati Caeremonialis dispositionem officium Diaconi est induere et exuere Episcopum sacris paramentis. Diacono vero datus est in adiutorium Subdiaconus, sed ad hunc praecise et specialiter pertinet e credentia ad solium deferre sandalia eademque aptare pedibus celebrantis. Ita *lib. I. cap. 10. §. 2.*: *Episcopo igitur incipiente legere Psalmos, affert* (Subdiaconus) *ille caligas et sandalia ex credentia sumpta, quae portat super bacili seu velo serico cooperta et adjuvante uno ex familiaribus Episcopi induit primo tibiam, et pedem dexterum Episcopi, mox sinistrum genuflexus sub cappa illius, et cum tempus erit, simul cum Diacono adjuvabit Episcopum, dum caeteris paramentis sacris induitur, quod munus, licet ad Diaconum praecipue spectet, Subdiaconus tamen coadjuvat, ubi opus est. Et iterum lib. 2. cap. 8. §. 7.*: *Interim Subdiaconus cantaturus epistolam affert ex credentia super bacili sandalia et caligas manibus velo coopertis illaque adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis genuflexus induit primo in dextero deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis. Equidem silet idem Caeremoniale, dum res est de exuendo Episcopo; nam lib. 1. cap. 10. §. 6. legitur dumtaxat, quod Subdiaconus redit ad locum suum post Episcopum et ibi stat usque ad finem Missae, et ea finita adjuvat Diaconum in exuendo Episcopo. Et lib. 2. cap. 8. §. 81: *ibique per eosdem Ministros exiit sacris paramentis. Sed quid tum postea? Si ad Diaconum pertinet**

sacris indumentis exuere Episcopum, eodem legis praescripto, quo suam praestare operam debuerat ad ipsum Sacris induendum, curnam Subdiaconus non debet idem praestare obsequium quoad sandaliorum detractionem, si ei jubet rubrica, ut ipsius pedibus eadem aptet, designando pedem, qui primum, quique postea induendus est? Nonne quoad utrumque eadem concurret ratio? Ideo tam in induendo quam in exuendo idem servandus est modus et una Caeremonialis Rubrica per alteram declaratur. Praeterea quoad calceamenta fit apta distinctio inter usualia et pontificalia ac diversa distinguuntur officia, quapropter Subdiaconus pedes Episcopi sandaliis induit, non nisi postquam scutifer usualia detraxerat. En discrimen inter servile servitium, quod praestandum a scutifero est, et honorificum officium ab Altaris ministro exhibendum. Scutifer igitur, Missa peracta, suum debet reassumere servile servitium, non prius sed postquam Episcopus omnibus pontificalibus indumentis exutus est, detractis a Subdiacono sandaliis, quibus induendus est Celebrans priusquam sacra alia paramenta sumat de manu Diaconi, quaeque deponit, postquam aliis exutus fuit. Ex rubrica igitur de induendo Episcopo facile consequitur id, quod clare non exprimit alia rubrica, de sacris paramentis dimittendis post Missam.

Sed, quod magis est, id ipsum colligitur ex illis rubricae verbis: *ibidem per eosdem Ministros exuitur sacris paramentis*: quae tacite includunt, quod necesse non erat aperte exprimere. Etenim, postquam declaratum fuerat, quae agenda essent cum a Diacono tum a Subdiacono ad sacris paramentis Episcopum induendum, quae necessitas iterum inutiliter repetendi singularia vel ab utroque vel ab alterutro praestanda officia in exuendo?

Sensus ergo illorum verborum: *per eosdem Ministros exuitur*, nisi me omnia fallant, non alius est, quam sequens: *quilibet eorum suo fungatur officio*, scilicet, *expleta Missa Subdiaconus adjuvet Diaconum in exuendo Episcopum, ut fecerat in induendo, et postremo peculiare suum expleat officium detrahatque sandalia quemadmodum imposuerat*. Itaque cum in actione illa notetur differentia, imo eadem solemnitate exuendus Episcopus sit, iisdem caeremoniis et per eosdem ministros quisque videt planeque intelligit, actionem istam ab iisdem eodemque modo esse praestandam nullumque inter utramque ponendum esse discrimen. Atqui ante Missam solemniter celebraturus Episcopus sandaliis a Subdiacono induitur, ab eodem igitur eodemque modo exuendus est absoluta Missa. Hanc autem esse interpretationem verborum illorum *per eosdem Ministros exuitur*, declarat cl. Joseph Catalanus ad *Caeremoniale lib. 2. cap. 28. num. 28. Comment. 16.*, ubi ait: *Accepta per Episcopum cappa accedant duo assistentes Diaconi in habitu canonicali, et Diacono ad suum scabellum manente, Subdiaconus it ad credentiam, ubi accipit velum humerale album et cum Acolythis et scutifero ad Archiepiscopum accedit pro detrahendis sandaliis Subdiaconus, detractis Sandaliis ipsisque repositisque apud credentiam una cum Diacono, facta Altari et Episcopo profunda inclinatione ad Sacristiam pergunt*. Id ipsum legitur in *Memorial. Rituum majoris hebdomadae tit 1. cap. 2. §. 17. num. 26.*: *Subdiaconus more solito accedit cum Acolythis et scutifero pro Sandaliis detrahendis*. Neque sit, qui excipiat velitque sandalia sacris indumentis adnumeranda non esse, ideoque non pertinere ad Subdiaconum in iis exuendis suam praestare

operam. Ab hoc me facile possum expedire. Sciscitabor, curnam Caeremoniale praecipit, ut Subdiaconus et non scutifer Celebrantis pedibus sandalia aptet? Non nisi, quia inter sacra indumenta recensentur. Verum si sacra sunt, dum Episcopus iisdem est induendus, quapropter sacrum ad hoc opus Caeremoniale jubet adhiberi Ministrum; desinuntne esse talia peracta Missa, ut non a Subdiacono sed a scutifero sint detrahenda, ac si essent usualia et profana? Quonam argumenti genere hujusmodi poterit extricari nodus?

Quamquam omnis cessat controversia, si pretiosa antiquitatis monumenta spectare velimus, rubricarum praescripta expendere, scriptores omnes de hac re agentes audire. Omnia simul in unum confluunt evincuntque, sandalia sacris pontificalibus indumentis esse adnumeranda. Mei instituti ratio non patitur, ut cuncta, quae in demonstrationem afferri possent, ex ordine proferam et mysticas significationes recenseam, quae hujusmodi pontificali indumento tribuuntur. Videri possunt Amalarius *lib. 2. cap. 25.*, Rabanus Maurus *de institutione Clericorum lib. 1. cap. 22.*, Valfridus Strabo *de rebus eccles. cap. 23.*, Ivo Carnutensis *Sermon. 3.*, Rupertus Tuitiensis *de Divin. Offic. cap. 24.*; Honorius Augustodiensis *lib. 1. de antiq. Missar. ritu cap. 210.*, Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacrament. cap. 24.*, Innocent. III. *de myst. Missae lib. 2. cap. 48.*, Guillelmus Durandus *lib. 3. cap. 8. num. 7. et 8.*, alios quamplurimos ommitto brevitate gratia. Addam ex recentioribus Cardinalem Bona *rer. liturg. cap. 24. num. 9.*, ibique Robertum Sala et Catalanum *in prolegomenis ad Pontificale Romanum cap. 8.* Haud praetereundum, quod legitur in rubrica *de ritu servando in celebratione Missae §. 6.*: *si sit Episcopus et so-*

lemniter celebret, accipit paramenta et alia, ut in Caeremoniali etc., ubi Cavantus: *hoc est caligas, amictum, albam etc.* Siquidem indumenta, quibus Episcopus a simplici sacerdote distinguitur, sunt *Caligae, Sandalia, Crux pectoralis, Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae, Mitra, Baculus pastoralis*. Meratus ad Gavantum *ibidem num. 34.* Nulla autem in rubricis, nulla a scriptoribus distinctio inter paramenta et paramenta: ideo si sacra sunt *Tunicella, Dalmatica, Chyrothecae etc.*, cur non erunt *Caligae et Sandalia*? Sed in re tam clara, quid verbis est opus? si alia deessent argumenta, illud unum sufficeret ab oratione petendum in sandaliis induendis a Celebrante recitanda. In consecratione Episcopi, dum is caligis et sandaliis induebatur, sequens a duobus Episcopis, qui cum Consecrando e Sacratio egressi ad paratum Sacellum venerant, dicebatur Oratio: *Omnipotens sempiternus Deus, qui es initium et finis, fac istum famulum tuum N. Fratrem scilicet nostrum tua benedictione calceari, pedibus istis in praeparatione Evangelii pacis*. Ita se legisse ait in quodam antiquo ordine Romano Joseph Vicecomes *lib. 3. de Missae apparatu cap. 2. pag. 116* apud Dominicum Giorgi *de Liturgia Romani Pontificis tom. 1. cap. 13. num. 2.* Numquid autem preces istae assignantur in solemnibus peragendis mysteriis, quoad indumenta, quae sacra non sint? Sed cur timoror in antiquis, quae non sunt amplius in usu, si formulam Orationis habemus, quam Episcopus solemnne Sacrum facturus recitari debet, dum sandaliis induitur? videlicet: *Calcea Domine pedes meos in praeparationem Evangelii pacis et protege me in velamento alarum tuarum*. Sandalia igitur sacris indumentis adnumeranda esse tam certum est quam quod maxime. Quid plura? Sandalia pe-

culiare quid festivum habent ad solemnitatem actionis referendum; ideo iisdem Episcopus non utitur *Feria VI. in Parasceve* vel si in funeribus pontificaliter celebret, ut in Caeremoniali *lib. 2. cap. 11. §. 2. et cap. 25. §. 6.* Si quaeras cur ita? rationem affert Durandus: *quia tunc omnis solemnitas cessare debet*, apud Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus lib. 1. cap. 4. art. 12. pag. 589.* et apud praefatum Dominicum Giorgi *ibi cap. 14 num. 7 et 8.* Dic modo, quod sandalia sub sacrorum indumentorum appellatione non veniant et uti profana habeantur?

At si sacra sunt, nedum decet, ut sacer Minister tam in induendo iisdem, quam in exuendo Episcopum suam praestet operam et obsequium; verum etiam ita faciendum omnino, veluti jubet Caeremoniale et s. Congregatio in responsione ad propositum dubium definitiv.

4) Papae.

Quod Sandalia Papae spectat cruce ornata, antiquus profecto est ipsorum usus, uti inter alios probat eruditus Macrus in suo Hierolexico, verbo: Sandalia. Certe Romae adhuc perdurant vetera ejus usus monumenta, ut in Tribuna s. Praxedis a Paschale Papa I. musivo opere constructa, ubi seipsum pingi fecerat cum Sandaliis juxta illius saeculi morem cruciculis nigris in cuspide eorum signatis. Claruit Paschalis I. initio saeculi IX. id est creatus Pontifex fuit anno 817. Sed tamen constat, jam longe ante ipsum consuevisse Romanos Summos Pontifices gestare Sandalia cruce insignita. Honorius siquidem I. creatus Papa anno 625 cum instaurasset Templum s. Agnetis in via numentana, cruciculam albam, ut adhuc videtur in sua effigie, ad pedes imposuit. Sic in s. Maria ad Fontem, quam Joannes IV.

teste Anastasio extruxerat, adhuc duorum Pontificum effigies conservantur cum crucibus in cuspide Sandaliorum. Electus hic Joannes Pontifex fuit anno 660 medioque ante ipsum saeculo, id est anno 560, quo ad Pontificatum evectus fuit s. Gregorius Magnus, idem in usu fuisse perspicitur ex effigie ejusdem Pontificis a Joanne Diacono descripta in ejus Vita et ab eodem Marco allata in citata Hierolexico, verbo: Baculus. Porro, ut alias demonstrabimus, usus osculandi Pontificis pedes antiquissimus est et propterea in signum humilitatis crucem apponit Papa in Sandaliis ad ostendendum, quod talis reverentiae actus non sibi, sed cruci Christi exhibetur, ut inter alios docet Josephus Stephanus in libro: *De osculo pedum Romani Pontificis cap. VIII.* Forte ad evitandas haereticorum calumnias, qui eum ritum improbabant apponendi Crucem in Papae Sandaliis, cujusmodi sunt Novatores hodierni, Gelasius II., qui creatus fuit Pontifex anno 1118, in suis Sandaliis non crucem sed tres clavos pingi curavit, ut in ejus effigie videre est allata ab eodem Marco, verbo: Mitra. Quicquid sit, jam compluribus abhinc saeculis retinetur usus longa consuetudine probatus, ut Romani Pontifices Sandalia gestent aurea cruce ornata.

Unum superest, quod de Sandaliis dicamus, mutatam scilicet eorum formam fuisse. Erat vetustus Sandalium usus, sicut modo a Reglaribus discalceatis deferuntur, nimirum ex superiori parte aperta, ut ex Rabano Mauro *de institutione Clericorum capite XXII.* habetur, ubi ita inquit: *Pes neque tectus sit neque nudus ad terram; id est, ita sensum ejus formae mysticum exponit, ut neque occultetur Evangelium nec terrenis commodis innitatur.* Dignum notatu est, quod veteris Ecclesiae disciplinae peritissimus ac religiosus Custos s. Carolus Boro-

maeus parte IV. Actorum Ecclesiae Mediolanensis Parte II. Libro II. *Instructionum supellectilis ecclesisticae*, de Sandaliis episcopalibus docet: *Sandalia, ait, calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missae Sacrum solemniter faciendum utitur, e solea integra subtus constant, a parte autem superiori decenter ornata: quae fenestrata etiam superne olim fuisse, non sine mysterii ratione Innocentius III. Pontifex ostendit.* Plura jam nos de Sandaliis ipsis sicut et de aliis vestibus sacris tum Episcoporum tum caeterorum Ministrorum Tom. I. Romani Pontificalis, in Prolegomenis et in decursu ejus Operis, tum etiam in Opusculo *de Codice Sancti Evangelii* etc. Libr. II. diximus, de quibus videri quoque possunt varii Scriptores, qui de divinis Officiis ac ritibus ecclesiasticis peculiare Tractatus ediderunt, sunt autem ii multi veteres aequae recentiores.

(Catalan. Caer. Eccles. rom. l. I. p. 75.)

SS. SANGUIS J. CHR.

1) Dies festus.

Urbis et Orbis.

Redempti sumus in Domini N. J. Chr. Sanguine, qui emundat nos ab omni iniquitate et ideo beati qui in hoc lavant Stolas suas. Quod si Aegypti domus agni sanguine conspersae ab ira Dei fuerunt salvae, multo magis hanc iram effugient imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione et obsequio Salvatoris Nostri Sanguinem venerantur et colunt.

Haec aliaque hujusmodi animo reputans SSmus D. N. Pius Papa IX. ut fidelium corda, hisce praesertim miserimis temporibus, quibus inimicus homo in dominico agro supereminare zizaniam et multos insidiis, fraudibus,

erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc Redemptionis nostrae pretium magis magisque excitentur et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe sed et in Orbe universo omnes de Clero tum saeculari tum regulari, qui horas canonicas recitare tenentur, Missam et Officium de pretiosissimo Sanguine D. N. J. Chr. jam a S. R. C. approbatum et pluribus Dioecesibus concessum *Dom. I. Julii* singulis annis in posterum sub ritu *dupl. II. Cl.* peragere valeant.

Quod si in aliqua Dioecesi vel Ordine regulari vel Ecclesia quacumque Officium aequalis vel altioris ritus praedicta Dominica occurrat, statuit ut Officium et Missa de pretiosissimo Sanguine fiat tamquam in sede propria in proxima die a festo I. vel II. Cl. non impedita, transferendo juxta Rubricas Officium, quod nequit recitari in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dom. Julii numquam omittatur, itemque ut firma et suo robore permaneant peculiaria Indulta et privilegia jam concessa, recitandi nempe Officium hoc vel in Quadragesima vel alio anni tempore.

SS. ea profecto spe nititur fore ut per merita hujus pretiosissimi Sanguinis Fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati et charitate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam et praemia assequantur aeterna.

Datum Cajetae hac die 12. Aug. 1849 n. 5143.

Pius PP. VI.

Cum, sicut venerabilis frater Episcopus Tlascalensis in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ut ipse pro singulari, quam in SSmi Redemptoris Domini Nostri Jesu Christi praesertim, devotione, ejus memoriam et venerationem in dies augeri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari

fecit, ut sibi in praemissis opportune providere ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, ut quotannis in posterum ab universo clero saeculari dioecesis Tlascalensis nec non a religiosis et monialibus utentibus calendario dioecetano in die non impedito officio novem lectionum semel fixe ab eodem venerabili fratre Episcopo Tlascalensi destinando recitari possit ritu dupl. maj. officium cum missa in honorem pretiosi sanguinis Domini Nostri Jesu Christi servatis rubricis auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Datum Romae die 7. Novbr. 1797.
(Bull. r. Contin. t. X. p. 123.)

2) Officium votivum.

Vd.: SS. *Redemptor* (off., decr. II. Pii VI.)

3) Reliquia.

Vd.: *Reliquiae* (Guttar.)

De prohibitione praedicandi, disputandi aut suadendi haereticum vel peccatum esse, credere Jesu Christi Sanguinem in triduo suae passionis ab ipsa divinitate divisum vel non divisum fuisse vd.: *Constitut. PP. Pii II.* die 1. Aug. 1464.

(Bull. r. t. I. p. 380. Ed. Luxbg.)

4) Translatio.

Vd.: *Visitatio B. V. M.* (occurr.; transl.)

Ex apost. Indulto s. m. Benedicti Papae XIV. tertia Fer. VI. mensis Martii *in tota ditone olim Veneta* sub ritu dupl. I. Cl. recitatur officium pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Si haec feria, uti et imminente anno 1845, sit fer. VI. in Parasceve, quaeritur: an hoc officium omitti de-

beat vel potius transferri possit post Pascha? Emmi vero ac Rmmi P. s. tuendis ritibus praepositi rescribendum censuerunt:

„In casu omittendum, nisi impetretur indultum transferendi.“

Atque ita rescribendum et servandum mandarunt. N. 5000 ad 7.

Die 7. Decbr. 1844.

5) Vesperae.

Vd. *Visit. B. V. M.* (Vesperae, decr. diei 26. Mart. 1859.)

Ad dubium: An in secundis Vesperis festi pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi sive feria sexta post dominicam quartam quadragesimae sive dominica prima Julii dicendae sint Antiphonae ut in primis Vesperis, sicut in multis breviariis indicatur, vel assumendae sint Antiphonae de Laudibus prout in aliis breviariis notatur?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857. p. 2194.)

S. SATYRUS.

Romana.

S. Rituum Congregatio ad pias et enixas preces monialium s. Ambrosii, ut dicitur della Massima de Urbe sub regula s. Benedicti benigne inclinata indulsit, ut ipsae in posterum singulis annis in earum ecclesia celebrare possint festum s. Satyri fratris germani s. Ambrosii die 17. Septembris cum officio et missa de communi sub ritu duplici.

Die 30. Martii 1675.

(Anal. J. P. 1865 p. 1192 n. 2007.)

Romana.

Cum S. Rituum Congregatio habita die 30. Martii proxime praeteriti indulsit, ut moniales s. Ambrosii ita

dicti della Massima de urbe in eorum ecclesia celebrare possint festum s. Satyri fratris germani s. Ambrosii die 17. Septembris singulis annis cum officio et missa de communi confess. non pontif. sub ritu duplici, nunc superscriptum officium cum lectionibus propriis, ut jacet, s. eadem Congregatio approbavit ad usum tantum praedictarum monialium s. Ambrosii de Massima de urbe ac imprimi posse concessit.

Die 13. Julii 1675.

(Jbid. p. 1194. n. 2018.)

SCABELLUM.

Vd.: *Scamnum*; *Sedes*.

SCALA SANCTA.

(Indulgentiae.)

Decretum Urbis.

Ex audientia Sanctissimi die 2. Septembris 1817.

Inter obsequia, quae Sacrosanctae Religionis nostrae divinis Mysteriis Christifideles deferre consueverunt, illud potissimum Deo pergratum et iisdem utile accidit, ut Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi Mysteria recolentes et abstrahantur a noxiis et ad salutaria dirigantur. Qua de re SSmus Dominus Noster Pius PP. VII. ad augendam fidelium devotionem fovendamque, et excitandam memoriam erga Monumenta Passionis Christi et maxime praeclarum illud Scalae Sanctae, in qua Redemptor Dominus per singulos illius gradus non semel tantum ascendit et sanguine suo pretioso consecravit, volensque, ut dignis frequentur honoribus et simul fideles ad illud confluentes beneficia majora pertrahant, nec non ad defunctorum fidelium levamen et solatium redundet, reserandos propterea Sibi esse thesauros Ecclesiae censuit, ac supplicationibus Capituli et Canonicorum Patri-

archalis Lateranensis Basilicae super hoc porrectis, atque inhaerendo concessionibus fel. rec. Leonis PP. IV et Paschalis PP. II. Praedecessorum suorum, qui singulis utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito orantibus vel mendicantibus Passionem D. N. Jesu Christi et praelaudatam Scalam Sanctam flexis genibus ascendentibus Indulgentiam novem annorum pro quolibet gradu concessere, easdem Indulgentias idem Sanctissimus non modo perpetuis futuris temporibus et absque ulla Brevis expeditione valituras confirmavit, sed, quatenus opus sit, de novo impertitus est, et ut animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, in Domino pariter concessit.

Datum Romae ex Secretaria s. Congreg. indulgentiarum die et anno et supra.
(L. † S.) *I. Ph. Card. Scotti,*
Pro-Praefectus.
Angelus Castugati,
Secret.

SCAMNUM.

1) Laicorum.

a) *In Ecclesia.*

Verulana.

Priores Terrae Cipriani Verulanae dioecesis conquesti sunt de rectore illius ecclesiae recusante apponi in ecclesia scamnum de ordine consilii comparatum pro magistratu et officialibus accedentibus ad ecclesiam in diebus solemnibus, loco sedium, quae prius apponebantur prae officialibus. Et s. Congregatio mandavit scribi Episcopo, quod faciat assignare locum in ecclesia pro dicto scamno.

Die 12. Junii 1628.

(Anal. J. P. 1863. p. 205.)

Vd. *Sedes Cleri in Synodo*; *Synodus*; *Sedes*; *Faldistorium*.

Ex dispositione juris retinere prohibentur Patroni in eorum Capellis sedilia et scamna, quae impedimento sunt divinis. *Fusc.* de Visit et reg. Eccles. lib. I. cap. 27. n. 1 et seqq., *Nicol.* in *Flosc.* verbo: Ecclesia n. 11, *Ferrar.* in *Bibliothec. Canon. vers.:* *Sedilia* art. 5, n. 7. Potissimum vero conditionem illam urgent: dummodo divinis non praestet impedimentum.

(Ex resol. S. C. C. diei 7. Julii 1787. *Alatrina.*)

Montis Alti.

Prioribus loci de Parochia dioecesis Montis Alti exponentibus S. Rituum Congregationi ex multiplici scamnorum numero pro saecularium usu pro libito cujuslibet sparsim in ecclesia parochiali s. Luciae dicti loci existentium nonnulla scandala exoriri ex eo, quia ecclesiastici et religiosi a saecularibus sic impediti ab audiendis concionibus abstineant. Et propterea humillime supplicantibus pro facultate removendi dicta scamna et in dicta Ecclesia alia uniformia eorum sumptibus de novo construenda nedum pro commodo ecclesiasticorum et religiosorum, verum etiam pro decenti usu laicorum per ordinem reponenda s. Congregatio, audita relatione Episcopi, cui pro informatione scriptum fuit, ejusdem arbitrio instantiam praedictam remittendam esse censuit.

Die 2. Octobris 1694.

(Anal. J. P. 1865 p. 1348 n. 2542.)

b) *Intra presbyt. vetitum.*

Reclamarunt de Rubeis a decreto diei 24. Novembris suum allegantes jus patronatus in dicta Capella, et s. Congregatio ne quid inconsulto decerneret, audiri jussit Episcopum super novis precibus die 21. Maii 1782. Negavit Episcopus in sua relatione

constare de hoc jurepatronatus familiae de Rubeis in dicta Capella. Etsi constaret tantam esse Capellae augustiam, ut pro ministerio, sunt verba Episcopi, vix Clerico Missae sacrificio inservienti detur copia libere progrediendi, proptereaque maxime dedeceret ut in tali situs augustia scamna et sedilia pro mulierum commodo retineantur. Ad didit postremo loco a sanctione Concilii Romani sub Benedicto XIII. „ne intra presbyterium et altarium septa, dum Missae ibi celebrantur aliaque divina officia persolvuntur, laici assistant et si quae sint pro laicis sacra intra loca praedicta sedes, scamna etc., illinc auferantur.“ Quam plane sanctionem Alatrini Episcopi antecessores suis edictis annorum 1758 et 1766 renovarunt.

(Ex resol. S. C. C. diei 9. April 1785. *Alatrina.*)

Vd.: *Presbyterium* (aditus etc.)

2) Mutationis Jus.

Sipatroni jus habent retinendi in ecclesia scamnum, utique nulli licet illud amovere minusque iis inauditis aut invitis ullum impedimentum apponere tamquam in re, cujus usus alteri concessus est. Sed distinguendum videtur inter Episcopum vel Ecclesiae Rectorem et alium quemlibet. Huic porro id interdictum omnino est ex communi DD. placito; Episcopo vero aut Ecclesiae Rectori concessum hoc videri debet in solo necessitatis casu, ut distinguunt *Capyc.* *Latro* decis. 181 in annot. num. I., *Sanimoll.* dec. 1 annot. 15 num. 1 et 12., *Antonell.* de loc. legal. cap. 3 n. 68 lib. I., *Calder.* decis. crimin. 38 n. 19 et seqq. tom. I.

(Ex resol. S. C. C. diei 9. Apr. 175. *Alatrina.*)

SCAPULARE.

1) Benedictio.

Vd.: *Scapul.* (oblig.)

Decretum Urbis et Orbis.

Cum plures confraternitates, sodalitates, piae uniones etc. fidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum, qui, ratione muneris quod exercet et pro tempore pro munere fungitur, sit constitutus confraternitatis sodalitates etc. Rector, moderator seu quocumque titulo appelletur proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad rectores spectant et etiam, quatenus in respectiva sodalitate id rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi juxta facultates ad quamlibet sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa hujusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit relatio SSmo D. N. Pio PP. IX. in audientia praedicta et Sanctitas Sua derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum nec non acta per ipsos tamquam rectores et adscriptos per eosdem parochos, quatenus rectoris munus, quo funguntur in respectiva sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, nec non benedictiones habituum, scapularium etc. coronarum etc. et impositiones etc., ab eisdem factas, prout rectoribus in respectiva sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire ju-

dicaverint, parochos pro tempore in rectores, moderatores etc. Confraternitatum etc. non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Datum Romae ex secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.

F. Card. Asquinius, Praef.
A. Colombo, Secretarius.

Die 8. Jan. 1861.

(Anal. J. P. 1861 p. 800.)

Clemens XII.

Emanavit nuper a Congreg. VV. FF. nostrorum S. R. C. Cardinalium Indulgentiarum et sacris reliquiis praepositorum Decretum tenoris sequentis: Beatissime Pater. Modernus Episcopus Terulensis humillimus S. V. Orator pari humilitate eidem exponit, qualiter in civitate Terulensi adest conventus Monialium discalceatarum B. M. V. de monte Carmelo nuncupatarum ac jurisdictioni episcopali subjectarum, in quo ab initio foundationis mos admissus fuit ubique in Hispania receptus induendi nimirum scapularia ab Episcopo uti a legitimo Superiore benedicta sive cum ipsius facultate a Cappellano ordinario, ut usus fert, aliaque ita benedicta mittendi parentibus, propinquis aut benefactoribus laicis charitatis aut gratitudinis officio, pia fide omnibus credentibus scapularia, quae ita benedicuntur, habere Indulgentias a SS. Pontificibus concessas eodem modo, quo ea, quae a Fratibus discalceatis ejusdem ordinis benedicuntur. Nuper autem cum praedicti Fratres in hujusmodi civitate Terulen. monasterium fundaverint, nihil unquam super hoc actum dictum vel in dubium versum est, sed cum paucis ab hinc diebus Prior in suo Conventu sermonem populo dicens non dubitaverit publice asserere: *nullis scapularibus, nisi illis, quae ab ipsismet Fratibus*